UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De Ecclesiis, seu sanctis nouiter inuentis. li.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, in baptiſmo ſcilicet, in chriſmate, & patena, & calice, oblationes quoq; inferre, & diſponere in altari: componere etiam mēſam domini atque veſtire, crucem ferre, & prædicare Euangelium & Apoſtolum. Nam ſicut lectoribus vetus teſtamentum, ita diaconibus nouum prædicare pręceptū eſt. Ad ipſum quoque pertinet officium precum, & recitatio nominum. Ipſe præmonet aures ad dominum, ipſe hortatur orare, ipſe clamat, & ipſe pacem annunciat. Ad presbyterum pertinet, ſacramētum corporis, & ſanguinis domini in altari Dei conficere, & orationem dicere, & benedicere dona Dei. Ad epiſcopum pertinet, baſilicarum cōſecratio, vnctio altaris, & confectio chriſmatis. Ipſe prædicta officia, & ordines eccleſiaſticos diſtribuit. ipſe ſacras virgines benedicet: & dū præceſſit vnuſquiſque in ſingulis, hic tamen eſt præordinator in cunctis. Hi ſunt ordines ac miniſteria clericorum, quæ tamen authoritate pōtificali in archidiaconi cura & primicerii, ac theſaurarii ſolicitudine diuiduntur. Archidiaconus enim imperat ſubdiaconis & leuitis, ad quem iſta miniſteria pertinent. Ordinatio veſtiendi altare ad leuitas, cura incenſi, & ſacrificii neceſſaria ſolicitudo, quis leuitarum Apoſtolum & Euangelium legat, quis preces dicat, ſeu reſponſoriū in dominicis diebus aut ſolennitatum decantet, ſolicitudo quoque parochianorum & ordinatio, & iurgia, ad eius pertinent curā. Præparandas diocœſanas baſilicas, ipſe ſuggerit ſacerdoti. Ipſe inquirit parochias cum iuſſione epiſcopi, & ornamenta, vel res baſilicarum parochianarum, geſta libertatū eccleſiaſticarum epiſcopo idem refert, collectā pecuniam de communione ipſe accipit, & epiſcopo defert, & clericis partes proprias idem diſtribuit.

De Eccleſiis, ſeu ſanctis nouiter inuentis. Cap. LI.

DE Eccleſiis, ſeu ſanctis nouiter ſinę authoritate inuentis, niſi epiſcopo probāte, in cuius territorio eſt, minimè venerentur, ſalua etiā de hoc, & de omnibus Eccleſiis canonica authoritate. *Ex cōcil. Agrippinenſi, cap. 5.*

Vt vnaquæque Eccleſia manſum integrum habeat ſine ſeruitio. Cap. LII.

SAncitū eſt, vt vnicuique Eccleſiæ vnus manſus integer abſque vllo ſeruitio attribuatur, & presbyteri in eis *Ex cōcil. Vvomarcię. ca. 18*